

quibus, Venerabilis Frater, Nobis offerre voluisti opusculum a Te elaboratum ad Episcoporum Cæremoniale explanandum ex usibus et traditionibus hujus Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum matris et magistræ. Etsi vero ob gravissimas Supremi Nostri Pontificatus curas, et occupationes nihil adhuc de hujusmodi Tuo opusculo degustare potuimus, tamen Tibi vehementer ex animo gratulamur, quod in hoc opere conficiendo id potissimum spectasti, ut sacræ cæremoniæ ex Romanæ Ecclesiæ more et institutis quotidie magis in Tua præsertim Diœcesi sedulo, ac rite celebrentur, et divinus cultus majore semper luce refulgeat, ac fidelium animi, mentesque ad religionem, et pietatem magis in dies excitentur, atque inflammentur. Quod Tuum consilium omni certe laude dignum luculenter ostendit quanta religione præstes, quantaque fide et observantia Romanæ Ecclesiæ adhæreas et quanta pastoralis sollicitudine sis animatus ad spiritualem Tui gregis salutem omni studio procurandam. Tam vero una Tecum, Venerabilis Frater, ea prorsus fiducia nitimur fore, ut Sanctissima Dei Genitrix, omniumque nostrum dulcissima, et amantissima mater Virgo Maria, de cujus Immaculato Conceptu dogmaticam definitionem cum incredibili animi Nostri consolatione promulgavimus, potentissimo suo apud Eum, quem genuit, patrocinio efficiat, ut Sancta Mater Ecclesia, cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus a solis ortu usque ad occasum omni pace ac libertate fruatur, omnesque miseri errantes ad veritatis ac justitiæ semitas redeant. Perge porro, Venerabilis Frater, majori usque alacritate omnes boni pastoris partes implere, ac salutare urgere talentorum negotiationem, quæ est de animabus Christo lucrandis, et omnia conare, ut fideles Tibi commissi magis ac magis enutriti verbis fidei, ac sanctissimæ nostræ religionis præceptionibus sedulo instituti, et exculsi crescant in scientia Dei et cognitione Domini Nostri Jesu Christi, ac per gratiarum charismata confirmati, alacriori usque pede instent viam, quæ